

De modo manducandi peregrinorum in Galèa.

Instanti hora prandii aut coenae surgunt quatuor tubicines, et trumpetae, et tubis concrepant pro cimbulo ad mensam, quo auditio cum magna festinantia accurrunt omnes, qui de mensa domini patroni sunt, ad puppim, et idcirco festinant, ut accipiant locum quietae sessionis, quia, qui ibi tarde venit, male sedet. Tres enim mensae parantur in puppi bene et ordinate, et qui ad illas potest sedere, bene habet, qui vero tarde venit, extra puppim in scannis galeotarum sedebit male et in sole, vento et pluvia. In ista sessione non est ordo, sed prior locat se ad placitum, nec pauper diviti defert, nec rusticus nobili, nec mechanicus sacerdoti, nec idiota doctori, nec saecularis religioso, nisi propter singularem familiaritatem aliquis alium honoret. Causam autem illius deordinationis et irreverentiae hanc esse opinor, quia omnes aequale pretium solvunt patrono, minores tantum quantum majores.

Credo bene, si magnae dignitatis personae solverent LX ducatos, et simplices ac plebeii XX., aut si patronus reciperet pecuniam ab unoquoque secundum proportionem, quod tunc honor et reverentia esset minorum ad majores. Propter hanc causam nobiles, qui habent famulos, manducant juxta malum, aut in cumbis suis cum lumine, etiam media die, quando aër est obscurus. Porro semper in principio mensae ministratur omnibus malfasetum, et sequens cibus communis est paratus more italico: et primum est saluticum lactuca oleatum, si olera possunt haberi; et carnes ovinae in prandio, et pulmentum vel menestrum de farre, aut de fracto frumento, aut hordeo, aut pannatum et caseum macrum: in diebus vero jejuniorum et non carnium ministrantur pisciculi dicti zebilini, salsi in acetō oleato; vel placenta de ovis cum uno pulmento. Panes recentes tribuunt prope portus. Post quintum enim diem non manet panis recens in galēa. Et his deficientibus dant paximates vel paximatos, panes bicoccos, quos biscotas nominant, qui sunt duri ut lapis, sed dum aqua aut vino perfunduntur, statim liquescunt. Vinum ministratur quantum quis bibere potest, pro tempore bonum, et quandoque exile, semper tamen aqua bene mixtum et baptizatum. Cum celeritate autem prandium

Ende

Anfang

